S. C. O. 102. 183

M. Vir Clarissime, Amice summe.

Cum jam in dies et horas expectarem Te, ecce vices tuas obeunt excusantq moram literæ tuæ quas de manu amicâ sane quam jucundissimas accepi. Quamvis n. Teipsum complecti antiquius mihi futurum erat, tamen et anteambulonem istum tuum vidi lubens, quod spem renovaret, si non brevissimè at brevi at aliquando videndi porroq è propinquo früendi tui. Nec v. improbare possum, paululum te reditare, cum appareat, quid lues epidemica his regionibus porrò factura sit, q hic glissit, Leovardia grassatur, alibi sævit, Franequeram nunc etiam succensa fertur. Nam quamvis Dei ubivis præsto nobis providentia, ex puro tamen in infectum aërem, cum periculo temerè migrare, Deum tentare foret. Spero et confido sub hiemem oia melius habitura, atq eam tibi moram lubentes indulturos Acad. Curatores. Quamvis nec incertæ famæ te credere velim, crescenti cundo. Nec n. aut hic clausa Academia vel unam diem extra ordinem, nec numerus studiosorum imminutus, qui elapso proximo plus quam centenâ auctus fuit, nec sævitia pestis tanta, quantam tibi nescio quis persuaserat. Sexaginte, summum septuaginta aut circiter una septimana hic efferuntur, utcunq extincti. Franequeræ hactenus planè immunis, nunc demum correpta fertur leniter. Erat rumusculus cui nondum aurem præbeo de morte etiam Dni Bogermanni. Credo natum de patre ejus pastore qui Harlingæ decessit. Quod nisi plus etiam invalescat cum hieme malum, venias in vineam Domini ad vergam vindemiam. Nam quod de affectu in patrias oras tuos addis, tenere et illum, vinces haud vili ratione, qui scis non tam cum Diogene κοσμικὸν te esse, viro fortissimo liberato nullum solum peregrinum, sed civem cœli, pro arbitrio ac nutu magistratus summi mutare habitationem teneri. Officia amicis etiam absens præstabis, quotidiana explebunt alii, dum tu quotidianus sis in eis q sunt patris magni. Et cui unquam propheta debitus honor tributus à patriâ? Prole te auctum animitus gratulor, et gaudeo non irrita fuisse vota nostra.

Vivat et in virtutem ac gloriam paternam aemulanter crescat feliciter, referatque multa talenta sibi ... ter. Vale amicissime pectus ejus affectu ... amplector. Salveant ex me Clarissimi Collegae vestri.

Scrib. festin. a. d. IV. Eid. VIIbr. ...

T. ex animo

T. Andre...

Clarissimo atque Excellentissimo Viro, Dno Johanni Coccejo, Professori Bremano dignissimo, Domino et amico honorando.

16. Septemb. 1636.

Bremam.